

tisſimam, dulciſſimam κ. τ. λ. uerum ad finem properandum
eſt. Hoc unum addamus, liceat, Subiectum Spiritualis Lin-
guae ſequentem diuiſionem ſuppeditare. Huius enim ſi rationem
habeamus, animaduertemus, Spiritualem Linguam aut in DEO,
aut in Geniis, aut in Animabus ſeparatis, hominibusque poſt
reſurrectionem, deprehendi

XIX

Diuerſitas etiam obiecti, quod alloquuntur Spiritus, diui-
ſionem aliquam gignere poterat. Nam res ipſa id loquitur,
Spiritum nunc ad ſuperiorem, et ſe nobiliorem, nunc ad inferi-
orem, nunc etiam ad ſibi ſimilem, locutionem ſuam dirigere.
Verum enim uero diſcrimen illud attendere jam opus non erit,
quare diſtinctione ſuperius allata erimus contenti.

XX

Haec ſingula nunc ſpecialiori ratione ulterius illuſtrari de-
bebant, ita ut ſpecialim commemoretur, quo modo nunc i-
pſe DEUS, nunc quidam Genius, ſiue albus, ſiue ater, nunc
Anima, adeoque quiuis ſpiritus, aut uere locutus fuerit, aut,
eum locutum eſſe, homines faltem mentirentur. Vbi et Hiftorias
cuiusque generis, et Seculi, cum Sacras, tum profanas, euol-
ui oporteret. Sed haec talia alii loco, et tempori, bono cum
DEO reſeruamus. Qua occasione forte quaedam de Oracu-
lis Gentilium, et Spectris, item que Papiftarum de Animabus,
e Purgatorio ad nos redeuntibus, commentis, κ. τ. λ.
inſpergi poterunt. Nunc, peractis DEO Gratiis,
labori huic imponatur

F I N I S

Coll. diſſ. A. 21, miſc. 25